



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die XXI. Junii. Festum S. Aloysii Gonzagæ Confessoris

[S.l.], [ca. 1770]

Lectio V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62800)

beneficio, nullâ mentis, aut corporis pugnatam, servavit. Reliquas animi perturbationes cœpit ætate illa tam fortiter comprimere, ut ne primo quidem earum motu deinde incitaretur. Sensus etiam, oculos præcipuè, ita cohibuit, ut non modò illos nunquam in faciem intenderit Mariæ Austriacæ, quam plures annos inter honorarios Hispaniarum Principis ephobos ferè quotidie salutavit; sed à Matris etiam vultu contineret. Homo propterea sinè carne, aut Angelus in carne meritò appellatus. *ꝛ.* Honestum.

Lectio V.

Adjecit sensuum custodiae corporis cruciatum. Tria singulis hebdomadis jejunia eaque plerùmque modico pane, & aquâ tolerabat. Quamquam perpetuum fuisse per id tempus ipsius jejunium videri potest; cùm ejus prandia fermè vix unciam æquarent. Sæpè etiam ter in die se funibus, aut catenis cruentabat: flagella quandoque canum loris, cilicia equorum calcibus supplevit. Mollem lectulum clam injectis asserum fragmentis asperabat; eò etiam, ut citiùs ad orandum excitaretur. Magnam quippe noctis partem, summâ etiam hieme, solo tectus indusio, positus humi genibus, vel præ languore jacens

cens ac pronus, in cœlestium contempla-
tione traducebat, Interdiu quoque tres,
quatuor, quinque horas in ea perstabat im-
motus; donec unam saltem, animo nus-
quam distracto, percurrisset. Cujus con-
stantiæ præmium fuit stabilitas mentis in-
ter orandum aliò non vagantis, imò per-
petua velut ecstasi in Deo defixæ. Ei de-
mum ut unicè adhæreret, victo post trien-
nale acerrimum certamen Patre, & aviti
Principatûs jure in Fratrem translato, So-
cietati JESU, ad quam cœlesti voce Matriti
fuerat accitus, Romæ se adjunxit.

¶. Amavit.

Lectio VI.

In Tyrocinio ipso virtutum omnium Ma-
gister haberi cœpit. Exactissima in eo
erat legum etiam minimarum custodia,
mundi contemptus singularis, implacabi-
le odium sui, Dei verò amor tam ardens,
ut corpus etiam sensim absumeret. Jus-
sus propterea mentem à divinis rebus tan-
tisper avertere, occurrentem sibi ubique
Deum irritò conatu fugiebat. Mirâ etiam
proximum charitate amplexus, in publi-
cis, quibus alacriter ministrabat, Noso-
comiis contagiosam luem traxit. Quâ len-
tè consumptus, die, quem prædixerat,
undecimo Kalendas Julii, ætatis anno quar-

to